

si enim concesseris idem posse simul esse, & non esse, idem prædicatum eidem subjecto convenire poterit, & non convenire, ac proinde omnis propositio vera esse poterit, & falsa simul, ideoque incerta, & nullus demonstrationi locus relinquetur, cum demonstratio ex principiis certis fieri debeat; ergo principium contradictionis per nullum aliud axioma demonstrari potest. 4 Tandem per idem principium cætera demonstrari possunt axiomata. Si quis enim pertinaciter aliquod axioma negaverit, illud per reductionem ad absurdum, ac proinde per nostrum principium demonstratur apogogice. Etenim cum axioma sit propositio ex terminis manifesta, poni non potest subjectum nisi ponatur simul prædicatum; sed qui axioma negat, subjectum ponit, prædicatum vero tollit; ideoque cum sublato prædicato tollatur & subjectum, ponit idem simul esse, & non esse: ergo refellitur per principium contradictionis.

Objic. Principium contradictionis pendet ab isto alio: *Quodlibet dum est, est*: Ergo non est omnium primum. . . . Resp. N. ant. Hoc enim axioma: *Quodlibet dum est, est*: nititur principio contradictionis, & ad illud reducitur. Etenim certus esse non possum aliquid esse, nisi certo cognoverim impossibile esse, ut idem simul sit, & non sit. Et quidem hoc axioma: *Quodlibet dum est, est*: quamvis evidentissimum, per hoc tamen *Impossibile est &c.* probari posset hoc modo: Si falsum esset axioma illud: *Quodlibet &c.*, daretur ali-